



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

141. Si quis cum Judæ vel gentili mœchatus fuerit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

Burchard. lib.
9. c. 77.

consortium adulterorum virorum manere videantur. Super hoc Christiana religio adulterium in utroque sexu pari ratione condemnat. Sed viros suos mulieres non facillè de adulterio accusant, & non habent latentia peccata vindictam. Viri autem uxores adulteras liberitis apud sacerdotes deferre consueverunt. Et ideo mulieribus, prodito earum crimine, communicatio denegatur. Virorum autem commisso latente, non facillè quisquam ex suspicionibus abstinetur; qui utique submovebitur, si ejus flagitium detegatur. Cùm ergo causa par sit, interdum, probatione cessante, vindictæ ratio conquiescit.

Si conscio marito uxor fuerit mœchata.
Ex Concilio Heliberitano.

Concil. Eliberit. c. 70.
Burchard. lib. 9. c. 69.
Vide Leg. Longob. lib. 1. tit. 32. c. 6.

CXL. Si conscio marito uxor fuerit mœchata, placuit nec in fine dandam ei communionem. Si verò eam reliquerit, post decem annos accipiat communionem.

Si quis cum Judæa vel gentili mœchatus fuerit. *Ex eodem.*

Concil. Eliberit. c. 78.

CXLI. Si quis fidelis habens uxorem, cum Judæa vel gentili fuerit mœchatus, à communionem arceatur. Quòd si alius eam duxerit, post quinquennium, acta legitima pœnitentia, poterit dominicæ sociari communioni.

Editio Helmaſtadienſis & codex MS. Parisienſis conſtanter legunt eam duxerit. Apud Rhabanum verò in epistoſta ad Heribaldum cap. xxvi. eum duxerit. Conſenſus iſte fecit ne eam lectionem mutaremus. Nam ſiſt.

DE ECCLES. DISCIPLINIS. 265
picabar vocem duxerit corruptam esse apud
Reginonem, quòd in editionibus Concilij
Eliberitani scriptum sit eum detexerit.

De lenocinio. *Ex eodem Concilio.*

CXLII. Mulier, vel parens, vel quælibet fidelis, si lenocinium exercuerit, eò quòd alienum vendiderit corpus vel potiùs suum, placuit eam nec in finem accipere communionem.

Concil. Eliberit. c. 12.

Ne Judæus Christianam ducat uxorem.
Ex Lege Theodosiana lib. IX.

CXLIII. Nec Judæus Christianam, nec Christianus Judæam ducat uxorem. Quòd si fecerit, cujuslibet accusatione velut in adultæris vindicetur.

Interpret. I. 5.
Cod. Theod. de adulteris.

Ut alterius mulierem nullus accuset. *Ex eodem lib. cap. IV.*

CXLIV. In adulterio extraneam mulierem nemo accuset, sed propinqui ad quorum notam pertinet, id est, frater germanus, patruelis, patruus, & consobrinus. Reliqui tamen ante inscriptionem, si accusata adqueverit, possunt per satisfactionem veniam promereri.

Interpret. I. 2.
Cod. Theod. de adulteris.

Demaritis accusantibus. *Ex eodem.*

CXLV. Maritis sanè etiam ex suspitione accusare permiffum est.

Cod. Theod. ibid. Burchard. lib. 16. c. 37.

§ † §